



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

No. LX. Melchior De Polignach, Gallus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

MELCHIOR DE POLIGNACH , GALLUS.

Melchior S. Mariæ in Porticu Cardinalis de Polignach Gallus natus est An. 1661. die 11. Octobris ex Illustrissima Vicecomitum de Polignach Familia , quorum gentilitium castrum Polignachium dictum , situm est in agro Velauniensi tractus Cemmenii haud procul Anicio , quam Urbem Galli LE PUY indigitant. Nescio an unquam illustrius sydus nobilissimæ huic per Provinciam Cemmeniam familiæ exortum fuerit ; certè primus omnium fuit , qui Comitatus honorem in pervetustam familiam suam intulit , immò quod plus est , Purpuræ Gloriâ insignivit. Neque vulgaribus ille naturæ ingenique dotibus ad eum gloriæ apicem evehebatur ; nam eximiæ prudentiæ , perspicacissimæ indolis , acerrimique iudicii & prorsus admirandæ memoriæ Vir facilè in publicum Orbis theatrum cum gloriâ prodiit : Literarum etiam institutione tantum excrevit ingenita facundia , ut Summorum Oratorum feracissima Gallia paucos admodum exhibeat , quibus is ore penetrabili & dicendi facultate quicquam concedat. Politicas etiam regendi artes tam probè callet , ut Regum Sapientissimus Ludovicus XIV. exercitatissimam Viri Prudentiam probè contemplatus , non alio Ministro uti voluerit , per quem maxima quævis negotia , & publicam regni felicitatem concernentia , feliciter in exterorum Principum Aulis conficeret. Eum Polonia , Germania , Gallia , Italia non modò ex famâ cognoscunt , sed præsentem , & cum circumspèctissimâ Sapientiâ maxima quævis tractantem , non sine admiratione præstantissimæ indolis intuebantur. Hoc etiam in eo mirificè laudatur , quòd omnis dicacitatis juratus osor , grandia consilia nunquam non admirandâ solertia tegat , probè gnarus , consilia præsertim aulica , tamdiu tuta , quamdiu tecta. Prima ei Provincia in Poloniâ obtigit , quò Anno 1693. regius legatus ibat , ut in aulâ Joannis III. Sobieskii Galliæ utilitatibus invigilaret ; nec etiam inutilem Galliæ operam ibi posuerat : nam ex præcipuis regni proceribus permultos Galliæ amoribus mirè conciliabat : in ipsius etiam Regis , Reginæque animo tantum dominabatur , ut maximè ardua totius Regni negotia cum prudentissimo hoc Apolline communicarentur. Post mortem Sobieskii statim patuit , quàm is efficaciter procerum Polonorum animos ad Gallicas partes adduxisset. Cùm enim in patentibus circa Warsoviam campis de novo Rege eligendo Comititia celebrarentur , res pene in eo erat , ut Franciscus Ludovicus Princeps Contiacus Rex proclamaretur , Archiepiscopo Gnesniano , eodémque regni Primate Radzioskio eas partes cum suæ factionis hominibus mordicus tenente ; sed prævaluère Austriæ conatus , & Joannes Philippus Episcopus Passaviensis ex Comitibus Lambergiis ab Imperatore Leopoldo ad ea comititia missus , ut pro Friderico Augusto Saxonix Principe , & S. R. Imperii Septemviro in Polonico folio reponendo nullum non arietem admoveret , Machinam illam ab Archimede Gallico affabrè combinatam dissolvit ; aut si male velis dicere , Lambergius Cicero visus est esse , qui Magni illius Hortensii conatus in ipso successu lætos infregit. Manserat tamen rei bellè ordinatæ laus penes Polignacum ; nam intra momenta prudentiæ laborans solertia suas partes strenuè

nuè obibat, contra successus, à concepta spe abludens, fortunæ debebatur. Anno 1707. Romam deferebatur, ut in illo Nationum omnium theatro Gallia Comitatem, Affabilitatem, & concinnos mores cunctis exhiberet. Imò cum Sacra Rotæ Romanæ Auditor assideret, in audiendis partibus æquabilem animum, in cognitione causarum ingenii perspicaciam in dicendis sententiis inconcussam justitiam præferebat. Postquam per complures annos suum nomen Romanis notum & amabile reddidisset, in Galliam properè revocabatur, cujus urgentissimæ necessitates maximum hunc Virum sibi vindicabant. Agebatur enim Anno 1710. de Pace Cæsarem inter & confederatos ex una, & Galliarum ac Hispaniarum Reges ex altera parte ineundas. Hinc die 4. Martii Parisiis non tam abibat, quàm volabat, amicam pacis olivam, Marte exulare iussu, si res benè procederet, relaturus. Intra quartam diem Bruxellas tenebat; inde Gertrudisbergam destinatum pacificationi Sedem iter prosequeretur, ibi per quinquemestrem spatium sedulo pro pace insudatum. Et quamvis ea negotiatio exitum tunc quidem sortita non fuerit; jacta tamen fuere illius Pacificationis fundamenta, quæ altero post anno magno Gallia suæ bono eruperat. Conventus tunc lectissimorum totius Europæ Legatorum ultrajectum indicebatur. Comparebant per Legatos Roma, Austria, Gallia, Hispania, Lusitania, Anglia, Suecia, Prussia, Provincia Belgii Fœderati, Moguntia, Treviri, Colonia, Palatinatus, Saxonia, Sabaudia, Florentia, Lotharingia, Venetia, Janua, Mutina, Parma, Guastalla, Monasterium, Casselia, Wirtenbergia, Franconia, Suevia, Circulus Rhenanus uterque: proponerentur pacis leges, & Angli dictatoriâ potestate utebantur. Hanc Ariadnen Gallia invenerat, quâ filium porrigente è summis, quibuscum luctabatur, angustiis emergeret. Tunc sagacissimus Polignachius artes omnes, nervos omnes intendebat, ut laboranti Gallia suæ felicitatem præstaret; et enim verò præstitit, pace procurata, quâ meliorem Gallia in eo rerum statu neque quidem exoptare poterat. Legetur itaque in Gallia fastis Polignachius Pacificator, & quoties faustissima Pax Ultrajectina posteris occurreret, unâ Polignachii suæ Procuratoris felicitatis nomen gratissimâ memoria reverebitur. A Legatione Verajectina redux in Galliam factus, Christianissimo Regi Celeberrimâ Universitatis Parisiensis nomine, ejus felicitatem pacis doctissima oratione gratulabatur. Est, cur ex amœnissimo illo eloquentiâ horto paucos flosculos decerpam, asserere: Nunquam sinceriori gaudio Musas exultare, quàm cum depositis armis pax refloresceret; in medio tamen belli ardore id saltem solatii se hausisse, quòd cogitatione præciperet, concordiam præ foribus stare, eò quòd nunquam spes pacis major affulgeat, quàm cum serio bellum geritur. Cum scilicet ex fractis & collisis nubibus serenitas prodeat. Christianissimum Regem in robur plusquam Athlanteum valuisse; utpote qui Gallicum orbem, totius Europæ armis quasatum, intrepidè succollisset, & nutantem in Maximi Nepotis capite coronam suâ sapientiâ & virtute consolidasset. Deum, in cujus manibus hominum corda essent, mutatis derepente in diversum animis, Europæ Regibus pacis consilia inspirasse, qui prius præter coacervatas cædes & ardentia provinciarum busta nihil cogitarent, Eam esse, & semper fuisse Galliam, quam hostes in bello formidarent, amici in pace revererentur. Sic ille. Cujus equidem operæ, in ejus confessione pacis præstitæ, Galliarum Rex Ludovicus XIV. ita respondebat, ut Sacram sedem repetitis precibus pulsaret, ut Virum Christianissimæ Gallia suæ usquequaque utilem, in Sacra Purpurâ gloriam accerferet. Nec remoratus est Sanctissimus Pater in eò Virò honorando, qui Pacem orbi reddidisset. Hinc Cardinalem dicebat Anno 1712. die 18. Maji. Nec tamen ante 30. Januarii anni ponè insequentis promulgabatur, & sat citò, dum sat benè insignia merita compensabantur, Rex non contentus Sacro Vertici rubeum biretum imposuisse, abbatiam Anchinam, cujus redditus ultra quadraginta librarum millia ascendunt, ejus curæ demandandam curavit, Regi non minus Musicæ præficiabatur, dignitate in summos plerumque Gallia Dynastas cadere solitâ, & admirabili eo virtutum suarum concentu, concordia symphonie ordinandæ aptissimus videbatur. Adhæc Rex Christianissimus, ut summas hujus principis dotes etiam in suis remuneraretur, in ejus Illustrissimum fratrem Casparum Scipionem Armandum Præfecturam Velaunensis Provinciae contulerat. Fungebatur is primò omnium inter Regios Protoria Anno 1690. Urbis Anniciensis Gubernator renuntiabatur. Anno 1703. adversus repullulantes per Galliam Hugonottorum reliquias strenuè decertabat; nunquam veris triumphare visus, quàm cum iis infidelitatis reliquiis dedomitis, Orthodoxæ fidei trophæa per Galliam noviter explicaret, Demum in Regio exercitu Supremus locum tenens denominabatur. Adeoque si Comparisonem inter hoc nobile par fratrum probè instituire placeat, non incongruè consiciemus, Eminentissimum Purpuratum Melchiorum Polignachium Sagacissimum Ulyssem existere, quem prudentissima consilia commendent, & in oculis Gallia longè præciosissimam reddant; contra Scipionem Armandum, in Ajacis fortitudinem excrevisse; utpote qui stylo ferreo in acie rem strenuè peragebat. Interim tamen in comperto est, non Gallicum Herculem fuisse, qui pacem Ultrajectinam extorserit; sed hanc suam à Gallia felicitatem togatis in Conclavibus Viris deberi. Modò Eminentissimus Purpuratus res Gallia, Christianissimi Regis in Aula Romanâ internumtius, solerter curat, dignus visus, qui in Urbe Orbis Principe Negotiorum summæ, & veluti arcu rerum præpoeretur.